



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

164. An Sacerdos in celebrando non obseruans Rubricas Missalis, peccet mortaliter? Et quid si vnam, vel alteram Rubricam non obseruaret, aut si in rebus substantialibus Sacrificij deliquerit? Ex ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

cer feminam posse immediate, & proximè Sacerdoti ministrare, quod omninò negandum esse puto, cum sit contra communem Doctorum sententiam, & contra Ecclesie consuetudinem, & contra Nugnum insurgit nouissimè Tamburinus *opusc. de Sacrificio Missæ*, lib. 1. cap. 7. §. 5. n. 3. & Trullench. *de Sacram. lib. 3. cap. 8. dub. 2. n. 2.* & me citato P. Aucta *de Sacram. Euchar. q. 11. sect. 9. §. si verò nullus.*

## RESOL. CLX.

An Sacerdos in casu necessitatis possit feminam in responsione ministram adhibere in celebratione Missarum? Ex part. 2. tract. 14. Ref. 44.

Sup. hoc in Ref. præterita §. Ad. dit. vsque in finem dictæ Ref.

§. 1. **N**egatiuè respondet Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 6. num. 13.* Homobonus *de exam. Eccl. p. 1. tract. 1. cap. 1. §. 9. 146.* Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 88. sect. 1.* Villalobos *in summ. p. 1. tract. 8. diffie. 34. n. 1.* Ioan. de la Cruz *in direct. cons. p. 2. de sacr. Missæ. q. 3. dub. 5. concl. 2.* Zanardus *in direct. Theol. p. 1. de sacrif. Missæ. cap. 1. §. in fine.* Pitigianus *in 4. tom. 1. disp. 13. q. 2. art. 5. in fine.* Fernand. *in exam. Theol. p. 3. cap. 5. §. 4. n. 7.* Squillante *de oblig. Cler. part. 2. dub. 23. n. 70.* Molfes. *in sum. tom. 1. tract. 3. c. 10. n. 40.* & alij ex autoritate cap. 1. *de cohab. Cler. & mul.* vbi dicitur, vt nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare.

2. Sed non reticebo, Didacum Nugnum *in 3. p. tom. 2. p. 83. art. 6. dub. 1. fol. mibi 516. col. 2.* contrariam sententiam docere, nempe quòd si non sit vir, vel ille non possit ministrare, quòd tunc debet femina & respondere, & ministrare: nam ex hoc nullum sequitur inconueniens, & ex alia parte fit sacrificium debito modo, sine confusione, & verificantur salutationes ad populum, & responsiones. Ad argumentum contrarium respondet, illa verba intelligenda, extra tempus grauis necessitatis, hoc enim manifestè significat verbum illud, *non præsumat*, in nostro enim casu femina non præsumit, sed hoc facit ex commissione Sacerdotis, propter stantem necessitatem: & Sacerdotem ita celebrantem, nempe cum femina, non peccare mortaliter, putauit Syluius *in 3. p. q. 83. art. 5. in respons. ad 12.* sed tu tene primam opinionem.

## RESOL. CLXI.

An sacerdos celebrans Missam, si alium non habeat, possit vti Ministro excommunicato non denunciato? Et quid in graui necessitate, si talis sit excommunicatus denunciandus, & vitandus? Ex part. 5. tract. 9. Refol. 91.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Cornejo *in 3. part. tract. 5. de excomm. disp. 10. §. 4. ex errore 8. dub. 2.* cui adde Suarez *disp. 12. sect. 1.* & Turrianus *lib. 2. de excomm. disp. 11. dub. 1.* quia in tali Ministro potest considerari, vel indignitas personæ si est in peccato mortali, & hæc ratio non impedit, quia ad inferiendum Missæ non est status gratiæ necessarius, vel prohibitio Ecclesie comparatione talis officij, & hæc credi potest pro tali euentu suspendi ab Ecclesia, quæ doctrina intelligenda est, quando grauis vrgeret causa faciendi Sacrum, alias, vt sæpè diximus, Concilium Constantien. nullum fauorem concederet excommunicato: vnde etiam si non sit denunciatus, priuatur hac communicatione. Notat etiam Turrianus quòd si loquamur de excom-

municato vitando post denunciationem, idem dubium esse potest, an in casu necessitatis possit inferi Missæ, in quo consideranda est grauis necessitas.

## RESOL. CLXII.

An Sacerdos peccet mortaliter, si in aliquo loco, ubi non adest Missale, celebrat Missam? Et an Sacerdotes, quibus debilis est facultas videndi, si memoria callent, possint dicere Missam sine Missali? Ex part. 2. tract. 14. Ref. 46.

§. 1. **H**anc questionem indecisam reliquit Suarez *in 3. p. & disp. 81. sect. 6.* & in affirmatiuam sententiam videtur inclinare Reginaldus *tom. 2. lib. 29. cap. 9. part. 2. sect. 6. n. 197.* & docet apertè Esguendez *tract. 1. lib. 3. c. 2. n. 23.* Valquez *in 3. p. tom. 1. disp. 23. cap. 3. n. 26.* & Fillius. *tom. 1. tr. 8. c. 1. n. 17.* 2. Sed ego cum Layman *lib. 4. tract. 5. cap. 6. num. 13.* Villalobos *in sum. p. 1. tract. 8. diffie. 26. n. 5.* & Lellama *in sum. tom. 1. de Euchar. cap. 20. post 8. concl. p. 10.* in tali casu Sacerdotem non peccare, dummodo sit ita instructus, & de sua memoria confidens, vt certè non dubitaret posse se omnia integrè dicere sine Missali, quamuis non sine alio libro libro Missalis, & notam aliquam incurrat apud alios. Hinc Valquez *vbi supra*, putauit Sacerdotes, quibus debilis est facultas videndi, si memoria callent, posse.

## RESOL. CLXIII.

An Sacerdos vrens Missali Romano possit celebrare iuxta Ritus receptum in loco, per quem transit, etiam si discrepat à Romano, iam in Ecclesia seculari, quam Regulari? Ex p. 4. tr. 4. & Missæ. Ref. 93.

§. 1. **V**t si, v. g. quis transiret per monasterium Monachorum D. Benedictini, D. Dominici, &c. & responderet affirmatiuè Ioannes Prepositus *in 3. part. quest. 83. art. 4. dub. 5. num. 190.* quod non tantum intelligit de Ecclesia seculari, sed etiam de Regulari, & ideo Religiosum, vel sacralatem transeuntem per monasterium quod vitur alio Missali quàm Romano, posse in eo monasterio celebrare iuxta ritum ibidem receptum, neque videti in hoc parte plus permittendum existenti in Ecclesia seculari quàm in loco regulari, quia non est potius privilegium respectu Religiosorum, quàm respectu secularium, vt propterea sit dicendum externas personas posse celebrare in Ecclesia seculari, iuxta illius ritum, non verò in regulari, cum singulari Ecclesie minus regulares, quàm saculares relinquuntur antiquæ consuetudini. Ex quo deducitur idem dicendum si ritus celebrandi Missam in proprio loco à alieno discrepat à Romano, scilicet aliquem festam existentem posse celebrare iuxta ritum receptum in loco vbi celebrat, & hæc omnia docet Prepositus *loco cit.* quæ alij non approbant, & melius citata hanc questionem an aliquid sit declaratum à sacra Cardinalium Congregatione.

## RESOL. CLXIV.

An Sacerdos in celebrando non obseruans Rubricam Missalis peccet mortaliter? Et quid si vnam, vel alteram Rubricam non obseruauerit?

aut si in rebus substantialibus Sacrificij deliquerit? Ex part. 2. tract. 14. Ref. 55.

Sup. Doctri- na huius Ref. lege & signanter infra ex Ref. 177. §. Sed alijs & supra ex Ref. 144. §. Adde à prin- cipio.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docuit Azorius p. 1. lib. 10. cap. 29. quæst. 6. Bonacina de Sacram. disp. 4. quæst. ult. punct. 7. §. 3. num. 3. Pitigianus tom. 1. in 4. sent. disp. 13. quæst. 2. art. 4. in fine, & alij. Nam si Breue Pij V. quod in principio Missalis ponitur, cum attentione consideretur obseruanti rituum ac ceremoniarum Missalis, in sacro faciendo, obligare videtur ad mortale.

2. Ego verò, si Sacerdos contrarium faceret, non damnarem de peccato mortali. Nam contrariam sententiam asserentem, dictas rubricas non obligare sub onere peccati mortalis esse probabilem, asserunt etiam DD. citati, & Possuinus de offic. Cur. c. 2. n. 16. cum alijs. Et ego puto ita omnino esse tenendum, vt docet Fagund. tract. 1. lib. 3. cap. 21. & seg. quæ intelligenda sunt si vnam, vel alteram rubricam non obseruaret, non autem si nullam, aut si in rebus substantialibus Sacrificij deliqueret, vt alibi dictum est.

RESOL. CLXV.

An sit peccatum veniale dicere Missam, & manus non abluere?

Et quid est sentiendum de manuum lotionem post Missam?

Et infertur an mulier tempore menstrui, aut partus saltem ex consilio abstinere à communione debeat, nisi causa urgeat?

Et quid si macula perpetua sit vt fluxus sanguinis, aut lepra? Ex part. 10. tr. 12. & Misc. 2. Ref. 19.

Sup. hoc in Ref. 177. & in cod. §.

§. 1. **D**e hoc casu interrogatus fui à quodam Sacerdote: asserbat ille, sententiam negatiuam tenendam esse: sed ego ei fortiter obstiti, asserens Sacerdotem, qui aduertenter celebrat non lotis manibus, venialiter peccare: & ita tenet Granadus in 3. part. D. Thomas, contr. 6. trat. 10. disp. 9. num. 13. vbi sic ait: Superest, vt breuissimè dicamus de alijs maculis corporis, quæ susceptioni Eucharistiæ possent obstare. Et in primis si macula perpetua sit, aut nimium diuturna, v.g. fluxus sanguinis, aut lepra; non idèd priuandus est homo Eucharistia; vt rectè Sotus, disp. 12. quæst. 1. art. 7. Suarez disp. 68. sect. 2. & alij. Mulier verò tempore menstrui, aut partus saltem ex consilio abstinere debet, nisi causa urgeat; vt S. Dionysius Alexandrinus in Epistola qua refertur, tom. 3. Biblioth. Con. 2. affirmat, sequunturque Suarez, & alij; nunquam tamen erit mortale, per se loquendo. Denique non lotis manibus celebrare, aut non abluta facie ad Eucharistiam accedere, viri docti dicunt esse peccatum veniale; si aduertenter fiat, quia est contra reuerentiam tanto Sacramento debitam. Vnde S. Augustinus in illo sermone 244. Erubescimus, inquit, ac timemus Eucharistiam manibus fordibus tangere. Hæc Granadus; cui adde nouissimè Martinum de San Ioseph in Monita Confessar. tom. 1. lib. 1. tract. 8. de Eucharistia num. 28. Pareceme (ait) que serà peccato venial celebrat sin lauerse las manos, y rostro, por la indecencia; però sino huuo ocasion de lauarle, no serà peccado. Idem etiam docet P. Leandrus de Sacrament. tom. 2. tract. 7. disp. 6. quæst. 16. Vide etiam Trullench. de Sacrament. lib. 3. cap. 8. dub. 20. n. 1. & Suarez in 3. part. tom. 2. disp. 82. sect. 1. qui excusant à peccato mortali eos, qui deserunt lotionem manuum ante Missam. Ergo peccabunt venialiter.

2. Sed quid dicendum de manuum lotionem post Tom. 11.

Missam? Ad hoc dubium sic respondet Nigrus, in Addit. ad Ruyz p. 3. §. 1. n. 5. An Celebrans explicata Missa tenetur lauare digitos? Auctor noster; Gauantus, Sperellus, & Castaldus; affirmant; & ita vtuntur non pauci Viri graues. Alij verò negant, & fundantur, quia ablutio ista post Missam non præcipitur; sicut iubetur antequam induat se Vestimentis Sacerdotalibus. Ego sequor vsum affirmantium. Ita ille. Sed ego puto, quod talis lotio, si omittatur, non constituat peccatum veniale; quia lotio ante Missam præcipitur, non autem post Missam.

RESOL. CLXVI.

An Sacerdos, cum sacris se induit vestibus, peccet mortaliter relinquendo orationes postas in Missali, quas se induendo Sacerdotes dicere solent?

Et aduertitur Regulas Missalis non obligare ad mortale, nisi contineant essentiam, seu quasi essentiam Sacrificij, reliquas vero non esse præcepta, sed consilia, & instructiones? Ex part. 2. tract. 14. Ref. 41.

§. 1. **P**eccare mortaliter, si hoc faceret aduertenter putauit Syluius in 3. p. q. 83. art. 6. qui citat Nauar. & Azorium.

2. Sed nimis rigorosè loquuntur hi DD. Ideo puto, dummodo id faciat sine contemptu, non peccare Sacerdotem, supradictas Orationes relinquentem. Et ita præter DD. 8. quos citat, & sequitur Homobonus de exam. Eccles. p. 1. tom. tract. 4. cap. 15. q. 245. docet etiam hæc sententiam Layman lib. 4. tr. 5. c. 5. n. 12. Vega in summa, tom. 2. cap. 41. cas. 9. Pitigianus in 4. tom. 1. disp. 13. quæst. 2. art. 10. dub. 4. Fernandez in exam. Theol. p. 3. c. 5. §. 13. n. 4. Scorzia de sacrif. Missæ lib. 2. c. 8. n. 14. Fagundez tract. 1. lib. 3. cap. 21. n. 9. Ratio est, quia nullum adest præceptum, seu lex præcipiens, dictas Orationes à Sacerdote dicendas sub onere peccati mortalis, & quædam in Missali posita pertinent ad decentiam, & consilium, non autem ad necessitatem & obligationem. Vide Fagundez loc. cit. & n. 32. vbi probat regulas Missalis non obligare ad mortale, nisi contineant essentiam, seu quasi essentiam sacrificij, reliquas verò non esse præcepta, sed consilia & instructiones.

Sup. his Regulis in fine Ref. 1. post præteritam sed lege etiã Ref. & 55. eius primæ not.

RESOL. CLXVII.

An in casu necessitatis possit Sacerdos celebrare sine stola, manipulo, aut cingulo, vel celebrare in tali casu necessitatis cum stola, manipulo, aut cingulo non benedicto?

Et an extra casum necessitatis semper sit mortale?

Et notatur primo, quantum ad materiam sacrarium vestium, v.g. amictum & albam debere esse lineam, ceteras vero ex quacumque alia recenti materia, nec multum refert, cuius ea sit coloris.

Secundo aduertitur stolam posse deservire pro manipulo, & manipulum pro stola.

Tertio, quod si cingulum perfringatur, & utraque pars sufficiat ad cingendum, utraque est benedicta, & potest deservire celebrationi Missæ.

Adde plus, quod si cingulum ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum, potest cingulum sic fractum necti.

Quarto casulam, manipulum, & stolam seruire ab utraque parte posse, etiam si unica tantum consecratione ab Episcopo sacrata essent, si gemino colore afficerentur ad varios dies festos.

Item quod supradictæ vestes tunc consecrationis formam amittunt, cum ita scindantur, vt apte amplius non sint ad eos vsus, ad quos sacrantur, aliouin formam consecrationis